

A mus planè vir Fab. Vigil Spoletanus rem exactissimè pertractasset.

I T I A M L R A I T A.

**S**Vnt qui putent equos in hoc numo Italianam significare, eoq; adducuntur argumento, quòd in argenteo numo & aliquot æreis obseruatur caput equi frænati cum inscriptione ROMA. Ab eius occipitio sceptrum, in cuius summa parte caput itidè equi videatur: ab altera parte, Roma ipsa galeata, vti mos est. Alij numi sunt cum equinis capitibus ab utraq; parte singulis, cù inscriptione ROMA. Sed enim cùm equum ipsum multifariam in Latinorum & Græcorum numis obseruauerim, neq; Italianam neque aliam quampiam prouinciam, regionem, aut ciuitatē significare contenderim, sed aut bellum, aut itinerationē, aut decursionem, vt in Neronianis plerisq; aut velocitatem, vt in Papirianis; & alia prout locis suis explicantur.

M A V R E T A N I A.

**N**isi qui (si videant in Hadriani numo equum à pedite rectum cum inscriptione MAVRETANIA, ita enim scriptū per E secunda syllaba) intelligere velint prouinciam eam in ditionē acceptā, vel quid huiusmodi. Sanè aliquot ex huiusmodi numis vna in parte caput habent Hadriani, ab altera equum, quē mulier duobus armata iaculis ductat: quod nimirum indicat genus id bellandi, quo plurimum vtitur ea prouincia.

M A V R I F E R O C E S.

**Q**Vin posterioribus etiam seculis militares quidam ordines, qui sub equitu magistro militabat, dimidios rutili coloris equos duos in alba parma sese quodammodo lacescentes, orbe viridi, cuius luteus erat umbilicus, interposito, præferebant, iiq; MAVRI FEROCES appellabantur. Quòd verò aliqui ex numis Italianis per equum significari crediderint, forte suspicati sunt ex eo numo qui equum exultantem habet, flore quodam supernè sito: ab cuius altero latere inscriptione est, ROMANOR.

E Q. V I C T O R I A.

**C**VR verò potius nō putemus numum hunc in rei gestæ monumentum esse cusum? quia bello Punico, quod cum Hannibale gestum est, cœperint aliquando Romani etiam equis superiores esse, cùm prius robur eorum omne in legionibus confisteret: flos enim ille supernè additus, principium atq; spem bonæ frugis indicat. Sanè Virgilius rem tantam haudquam reliquit indictam, cùm de Marcelli laudibus ita cecinit:

Hic rem Romanam magno trepidante tumulo

Sistet, equis sternet Panos.

At in Cephalænorum etiam numis equus signari solitus, cuius rei mētio apud Plutarchum. Apud Smyrnæos Fortunæ simulachrum fuit à Bupalo quodam probo sanè viro factum, in cuius capite pullus equinus insidebat, & A maltheæ cornu manum implebat, de quo apud Pausaniam Messenicis.

S Y R A C U S A N I.

**V**Tebantur & Syracusani equi nota. Nam Atheniensibus illis qui apud Syracusas capti Niciana clade pro seruis venière sub hasta, frons equi chara ètère inusta est. In aliquot eorum numis equus & seffor habetur cù inscriptione IEPOENOΣ, quod nimirum eius in equestri militia, sed præcipuam in certaminibus gloriam ostendit, quem ea de causa tot laudibus Pindarus poëta immortalitati consecravit. Aliæ quoque Respubl. atque alij plerique Princi-